



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Denunciationis Form. XLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

SUMMARIUM.

- 1 Delinquens mitius punitur in omit-
tendo, quàm committendo, & mi-
tius contra eum agitur per viam in-
quisitionis, quàm accusationis.
- 2 Confessarius Regularis Monialium, non
potest ingredi clausuram pro sepul-
tura, benedictione Cellarum, vel
exorcizzanda moniali.
- 3 Exorcizzatio Monialis à quo, & quo-
modo, & in quo loco fit faciendâ,

- demonstratur.
- 4 Signa Monialis Energumene referun-
tur, & n. 5.
 - 6 Dæmones Deo permittente, afficiunt
corpora hominum variis morbis.
 - 7 Cause, ob quas Deus permittit Mu-
lieres energumenas fieri, referun-
tur.
 - 8 Superior Regularis transgressor Bullæ
Alexand. VII. an à censuris ab Epi-
scopo comminatis appellet, osten-
ditur.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A XLVII.

HIC auctoritate ordinaria, quàm delegata, ut ab omnibus evitetur, de-
nunciatur, & declaratur excommunicatus majori excommunicatione P.
N. Provincialis Ordinis N. ex eo, quia anno nondum completo à die ultimæ Vi-
sitationis Monasterii Monialium N. nobis inconsultis, ingressus fuit cum Sociis
Clausuram dicti Monasterii contra formam, & prohibitionem expressam Con-
stitutionis Alexandri Papæ VII. quæ incipit *Falici*. Quare &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

CON auctorità tanto Ordinaria quanto delegata, acciocche sia da tutti evitato
si denuncia, e dichiara scomunicato di scomunica maggiore il P. N.
Provinciale dell'Ordine N. perche non essendo ancor compito l'anno del giorno
dell'ultima Visita del Monastero delle Monache N. senza nostra saputa, e la no-
stra presenza, è con i Compagni entrato nella Clausura di d. Monastero, contro
la forma, e proibizione espressa della Costituzione d'Alessandro Papa VII. che
comincia *Falici*. Che però &c.

N. Vescovo N.

Luogo ✠ del Sigillo.

N. Attuario.

L 4 AD.

ADNOTATIONES.

1 DE ILLICITO INGRESSU. Hoc exprimitur ad demonstrandum, quod non solum Superiores, & Confessarii Regulares Monialium puniri possunt in casu in Formula supposito: sed toties, quoties ingressus in Clausuram juxta formam præscriptam in Bulla, est illicitus, verum est tamen, quod circa hæc prudenter se gerere debet Ordinarius, & remissius agere ex officio commissis, quam pro commissis; quia mitius punitur delinquens in omittendo, quam in committendo, *gloss. in leg. si moraff. solut. matr.* & mitius contra eum agitur per viam inquisitionis, quam per viam accusationis, ut dicit Medic. tom. 1. in repet. cap. erit 4. dist. num. 84. & 91. post tract. de legib. stat. & præsertim ubi nullum oritur, nec oriri timetur scandalum.

2 Non tamen esset tolerandus, neque dissimulandus ingressus in Clausuram Confessarii; si fieret pro rebus, & casibus in Bulla non concessis, v. gr. pro sepultura, pro benedictione Cellarum cum aqua lustrali, aut pro exorcizzanda Moniali energumena, in nullo enim ex his casibus licitus est Confessario ingressus, sed illicitus, & punibilis, Nicol. in flosc. in verb. sepultura num. 6. in verb. Clausuram n. 27. & in verb. exorcismus n. 2.

3 Quando enim aliqua Monialis est exorcizzanda, Sacerdos exorcista, sive sit sæcularis, sive Regularis, debet esse ad hunc actum ab Ordinario loci approbatus, & exorcizzatio non intrà septa Monasterii; sed obtenta prius a Sac. Congreg. Episc. & Regular. licentia (& non antea) in Ecclesia exteriori Monasterii, clausis Januis coram eodem Confessario, & aliis fœminis honestis consanguineis, vel aliis provectæ ætatis, & probæ conversationis, eam comitantibus, est facienda: & exorcismo expleto, statim sinè diverticulo reducenda est in Clausuram, juxta modum præscriptum à Sac. Cong. Concilii in Decreto, quod per extensum referunt Barbof. Apostol. decis. collect. 509. verb. Monialium Clausura circa egressum num. 5. Tambur. de jur. Abb. disput. 24. quæst. 4. num. 1.

Pelizar. de Monial. cap. 5. num. 67. & Decreta Sac. Cong. Episc. & Regular. eadem præcipientia congerunt Gavant. in manual. Episc. verb. Monialium cura spirituum num. 30. & Nicol. in flosc. verb. exorcismus num. 2. ubi num. 4. quod Ordinarius ad exorcizzandum ingrediendi licentiam non concedit, & Sac. Congr. concedere non solet.

Antequam autem licentia exorcizzandi Monialem ab Ordinario detur, debent præcedere diligentia ad cognoscendum, an Monialis sit revera à Dæmone vexata: nam frequenter Mulieres Dæmoniacas se esse fingunt, licet non sint, quarum exorcismi sunt Carceres, jejunia, & penitentia rigorosæ. Signa autem Dæmoniaci, quæ referuntur à Martino del Rio disq. magic. lib. 6. quæst. 3. sect. 2. pag. mibi 699. regulariter & simpliciter sunt sequentia.

1 Linguam nigram, & tumidam multoties Dæmoniacus de ore contra naturam profert, inflatur guttur, vel distringitur angustè: ita ut videatur velle strangulari, sed tamen in suum pristinum statum redit.

2 Plorant Dæmoniaci nescientes quid plorent.

3 Cum ira, & contentione respondent interrogantibus.

4 Quandoque etiam coacti ut loquantur, nolunt loqui.

5 Claudunt dentes, & nolunt comedere.

6 Homines odio prosequuntur.

7 Multa dicunt, ex quibus minimè dignoscitur, quid velint innuere.

8 Opprimuntur sopore gravi.

9 Remanent tamquam sensibus destituti.

10 Se ipsos pugnis percutiunt, & vestes lacerant, & capillos.

11 Terribiles habent oculos, & horribiles.

12 Terrore repentino afficiuntur, & confestim terror ille recedit.

13 Diverforum animalium voces imitantur, & sic audiuntur rugitus Leonum, balatus Ovium, bovinum mugitus, latratus canum, porcorum grunitus, & similia.

14 Strident dentibus, & spumant, & si-

& signa alia ostendunt tamquam Canes rabidi .

15 Multoties exponunt se præcipitiis .

16 Discurrit aliquandò per eorum corpora igneus , vel glacialis vapor .

17 Sentiunt per corpus signa , tanquam formicas discurrentes , ranas saltantes , viperas , serpentes , pisces natantes , muscas volantes , & similia .

18 Varia præter naturam vident , & avidunt .

19 Sentiunt sub manu Sacra Sacerdotis capiti superposita , vel ex Sacra lectione quid frigidissimum , vel calidissimum , vel grave .

20 Clamant cum aliquas reliquias Sanctorum capiti superponis etiam occultè , & dicunt : auferre istas à me , quoniam malè olent , vel sunt nimis graves , aut efflant , aut circumvolvunt caput , aut ipsas reliquias projicere student , aut contra ministrum , & stantes se iratos ostendunt .

21 Omnia spiritalia odio habent , à facie Sacerdotum , & præcipuè exorcistarum fugiunt , in Ecclesiam ingredi nolunt , & si ingrediuntur ab ea statim fugere procurant , vel coronæ , vel spiritalium librorum tædet , cuncta benedicta , Sanctorumque Imagines , & maximè Crucifixi nolunt inspicere , nec deosculari , imò projiciunt , & in hæc omnia conspuunt .

22 Sacra verba proferre negligunt , qualia sunt - *Miserere mei Deus . Qui habitat in adjutorio altissimi . Magnificat Anima mea Dominum . In principio erat Verbum , & similia .* Et si ea pronuntiaverint balbutire student , vel verba corrumpunt , tædium grave demonstrant , & tandem ea perficere non possunt , & palam ita se Dæmoniacos ostendunt .

23 Sentiunt in aliqua corporis sui parte dolorem , & si super eum signum Sanctæ Crucis feceris , statim per corporis membra fugiet , sed si eidem dolori locum præcisum assignaveris , in ea corporis parte , in qua volueris , signo Sanctæ Crucis , Crucis patientia , & perseverantia adnotabis .

24 Cum super Dæmoniacos Evangelia , Passionem Jesu Christi , conjurationes , & similia legeris , conturbabuntur ,

sensus occupabunt , intollerabiles etiam in illis anxietates , ac inflationes , vel guttas fudoris defluentes conspicias . Insuper stridores ad Cælum usque mittent , prosternent se , ac similia facient .

25 Cum audieris idiotas , & ignaros litterarum interpretari difficilia , aliorum manifestare secreta , pullare , vel musicalia canere , aliqua prædicere , loqui variis linguis , & supernaturalia facere , absque dubio , signum erit Diabolicæ præsentiae .

His signis , quæ communia sunt cunctis maleficiis , vel peculiaria quibusdam junguntur alia , quæ deducuntur ex qualitate morbi , & sunt sequentia .

1 Si moribus ægerrimè cognoscitur , ita ut Medici hæsitent , & ambigui huc , illuc animo agitentur , nec certi quidquam de illo audeant proferre .

2 Quod remediis ex arte adhibitis , morbus se non remittat , sed potiùs exasperetur , & augeatur .

3 Quod more naturalium morborum , non crescat paulatim ; sed frequenter statim ab initio , nullis peccantibus humoribus in causa existentibus cum gravissimis symptomatibus , & doloribus se morbus prodat .

4 Quod valdè inconstans sit morbus , & raro periodos naturæ servet , & licet similis videatur naturalibus morbis , in multis tamen discrepet .

5 Multoties licèt ægotans gravissimè doleat , in qua tamen parte doleat , nequeat referre .

6 Interdum ægri suspiria (quæ luctuosa vocant) absque manifesta causa emittunt .

7 Aliquibus appetitus rejicitur , aliqui cibos revomunt , & ventriculum ita malè affectum habent ut sæpiùs astructione laborent , veletiam pondus in ipso quodam , quin , & rem aliquam per œsophagum modo ascendere , modo descendere percipiant & si in Superiorem partem delatum deglutire conentur omnem operam ludant , re ipsa mox spontè desiliente .

8 In regione cordis punctorium dolorem percipiant , adeò ut ipsum aliquando lacerari asserant .

9 In quibusdam circa collum arteriæ manifestè pulsare , & quasi tremere comprehendunt .

10 Alii

10 Alii sævo colli, seu renum dolore cruciantur, vel circa ventrem inferiorem torsiones acerbissimas, & sæpè flatum quemdam frigidissimum per ventrem permeantem, & citò redeuntem, vel vaporem, uti flammam ignis calidissimè simili modo illos infestantem percipiunt.

11 Quidam ad venerem impotentes redduntur.

12 Consuevere quidam levibus Sudoribus præcipuè circa noctem corripi, quamvis tempore, & aura frigidiore.

13 Alii videntur habere particulas corporis veluti nexibus deligatas.

14 Morbi, quibus laborant veneficio læsi, sunt ut plurimum totius corporis quædam extenuatio, & macies, & virium imbecillitas cum summo languore, mentis stupiditas, quædam varia Melancholica deliria, diversa febrium genera Medicis multum negotii exhibentia, motus quidam convulsivi, unde epileptici videantur, membrorum quædam rigiditas speciem convulsionis præferens. Aliquando omnes capitis partes, tumescunt, aut talem circa totum corpus lassitudinem percipiunt, ut vix ullo pacto se movere possint. Plerumque tota cutis, sed ut plurimum faciei, flavo, seu cinereo colore suffunditur. Aliqui habent oculorum palpebras adstrictas, ut eas vix aperire possint. Oculi sunt perlucidi, & transparentes, & nonnunquam quædam spectra, vel nubeculam inspicere videntur.

15 Veneficio affecti faciem Sacerdotis vix aspicere valent, nec oculis intentis ullo modo: album oculorum variis modis mutatur. Ægrotantes cum instrumenta venefica comburuntur, solent in deterius mutari, vel noxam quandam recipere majorem, vel minorem pro ratione levioris, vel sævioris veneficii: itaut quandoque formidabiles clamores, & mugitus cogantur emittere: quod si nullam mutationem, vel læsionem percipiant, erit de salute ægri benè sperandum.

16 Si fortè veneficus ad visendum ægrotum accedat, statim infirmus ingenti molestia afficitur, aliquo terrore, seu

tremore corripitur: si sit puer statim plorat, oculi ad fuscum colorem mutantur, vel alia notatu digna in ægrotis mutatio observatur.

17 Quando pro curatione morbi quædam linimenta Sacra ad oculos, aures, frontem, & quædam alias partes Sacerdos adhibet, si in partibus illis sudor, vel aliqua alia mutatio appareat, signum est veneficii. Hæc del Rio loco citato pag. 700 quæ signa non est necesse ut ipse ex Codronco ait, ut omnia in ægro inveniantur, sed sufficere aliqua pro diversitate morbi.

Quod autem arte, & potentia Caco-dæmonum, Deo permittente, hi, & alii mirabiles morbi procurentur, & causentur in corporibus humanis in vindictam scelerum impiis, aut in meritum coronæ piis: probat auctoritate Scripturæ, SS. PP. & DD. & exemplorum, Stengel. *mund. theoretic. lib. 4. c. 18. per tot.* ubi ait, negantes morbos nonnullos à Dæmonibus provenire, inter Ethnicos, & Atheos esse annumerandos.

Causæ autem, ob quas Deus permittit Dæmones introire in corpora humana, & ea vexare sunt.

Primò ratione superbiæ, & enormitatis cujuscunque peccati, ut patet in *Saul. 1. Reg. 15.* quia omnes superbi sunt sub domnio Diaboli *Job 41.*

Secundo, hoc accidit ex misericordia & bonitate Divina, ut in bonis hominibus, qui quandoque propter parva peccata, quæ Deus statim punit, à Diabolo possidentur: & hoc ut dicunt D. Thom. & D. Bonav. ad punitionem etiam peccati venialis, & habetur ex *dialog. Gregor.*

Tertio accidit aliquando propter maledictionem, quam quandoque optat, vel imprecatur quis alteri, vel sibi ipsi.

Quarto Deus permittit hoc fieri ad nostram emendationem, ut terreamur Deum scienter offendere, ne fortassis nobis cras eveniat, quod hodie huic accidit.

Quinto accidit ad gloriam Dei, & Sanctorum Ostensionem, quando ipsi Sancti invocantur, & liberationem à Deo impetrant.

Has causas refert Jo: Herold. vulgo Disci-

Discipulus in *Sermon. Quadrag. in Deminica Oculi, serv. 19.* ubi ex Nicolao de Lira, quod istarum rerum rationes, & causæ non latent propter hoc, quod occulta sunt Dei judicia, & ideo non debeamus judicare de obfessis, quia filios, & filias Regni Cælestis, Deus misericorditer quandoque hic in præsentia punit, & præparat eos ad vitam æternam.

Item Deus permittit Energumenos pro confirmatione veritatis fidei Catholicæ, cuius soli Ministri cum exorcismis Dæmones à corporibus obfessis expellunt.

8 Prout nos denunciari mandamus. Denunciatio hujus excommunicationis non potest, nec debet suspendi per appellationem, quatenus interponeretur, quia casus Formulæ, in quo Ordinarius nec errare, nec denunciandum gravare potest, appellationem non admittit. Quidquid esset dicendum, si Ordinarius, Superiorem Regularem declarasset incursum, ob inobstantiam Bullæ in alia re, v. gr. quia introduxerit secum in Clausuram Socium juvenem, vel Visitationem protraxerit post occasum solis vel refectio- nem sumpserit intrâ septa, in his enim casibus, quia hæc ex inopinato acciden- ti, contingere, & fieri potuerunt; & sic Epicheja allegari possit, quæ excuset

transgressorem ab incurso censurarum, si denunciandus à declaratoria appellaret, deberet Ordinarium denunciationem sus- pendere, quia potuit (rejiciendo legiti- mam excusationem) errare, & Superio- rem Regularem denunciando gravare. At quando Superior visitat ante tempus, & ingreditur Clausuram intra annum à die ultimæ Visitationis, prætextu cau- sæ necessariæ sine præsentia Episcopi, tunc delinquit in officio, à quo propterea est removendus, non autem pro com- missis excusandus, ad tradita per Ric. decis. 289. part. 2. per tot.

De excommunicatione contenta in Constitut. Gregorii XV. Sanctissimus in Bullar. tom. 4. Const. 9. pag. 80.

Ad removenda crebra dissidia, quæ oriebantur inter Ordinarios, & Conser- vatores Regularium; multifarie Summi Pontifices providere studuerunt, sed in- cassum: quia abusus jurisdictionis talium Delegatorum, quos recenset Fagn. in c. si Clericus num. 38. & plurib. seqq. de for. comp. adhuc vigent. Quare Ordinarius si ad reprimendos eorum excessus cogatur ad censuras procedere poterit uti declara- toria sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XLVIII.

Attentis relatione nostri Promotoris Fiscalis, & juribus exhibitis, ex qui- bus constat N. instetisse coram N. asserto Conservatore PP. N. Ordinis N. pro... ipsumque Conservatorem, inhibitione cum comminatione censura- rum, nè adulteriora in causa damni dati contra d. N. in nostro Tribunali intro- ducta procedatur (sive præceptum de excarcerando concessisse & exequi fecis- se, tam contra N. quam in personas nostri Procuratoris Fiscalis & Cancellarii: imò arbitrorum electionem Curiam nostram propositam, & oblatam respuisse d. N. partem instantem in excommunicationem latæ sententiæ, & præfatum N. assertum Conservatorem *finis officii excedentem*, in pœnam suspensionis ab Offi- cio per annum, juxtâ dispositionem Bullæ Greg. XV. quæ incipit *Sanctissimus incurfos declaramus, & denunciamus* & publicè per affixionem Cedulorum de- nunciari mandamus, omni &c.

N. Episcopus N.

N. A. Quarius.
SUM-